






9.



DISSERTATIO MEDICA,  
INAUGURALIS,

PAUCA DE

Mente, et ejus in Corpus effectibus,  
exponens.





DISSERTATIO MEDICA,  
INAUGURALIS,

PAUCA DE

Mente, et ejus in Corpus effectibus,  
exponens.

9.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

PHILIPPUS HOLLAND,

ANGLUS,

Soc. Reg. Med. Edin. Sod. Extraor.

*Dura cogit necessitas.*

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, DCC, LXXXII.



Amico suo ac fautori,

Nec non

Praeceptorum olim eruditissimo,

J O A N N I A I K I N,

Anatomiae et Chemiae,

In Academia Warringtoniensi,

Praeceptorum;

Ut et

Societatis Regiae Medicae Edinensis

Socio Honorario;

Hocce opusculum

Confecrat

PHILIPPUS HOLLAND.





DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

PAUCA DE

Mente, et ejus in Corpus effectibus,  
exponens.

**P**HÆNOMENA et functiones oeconomiæ animalis hominis, duplici respectu, physiologi in universum fere consideravere; quatenus nempe vel ad mentem, vel ad corpus referri possunt.

Quae sensatione concomitantur functiones, quaeque intellectus exercitio, vel variis voluntatis modificationibus sese produnt, menti attribuerunt; quae vero hisce

A

carent

carent proprietatibus, quasque a statu quodam materiae, a peculiari organismo, et a certa motus modificatione pendere intelligimus, eas omnes corpori ex toto adscripserunt.

Posteriores ex communibus materiae ac motus principiis posse demonstrari, vix dubitamus; operationes vero mentis longe majoris sunt indaginis, et de earum explanatione spes omnino est pertenuis.

Circa hanc quaestionem de mentis operationibus, sententias imprimis duas diversas fovere philosophi. Quidam, cum Lockio acutissimo, cogitandi potestatem certi materiae status esse proprietatem, haud impossibile crediderunt; alii ulterius adhuc, cum Priestleio celeberrimo procedentes, rem sese ita revera habere asseruerunt; plerique autem philosophorum ac theologorum autumant, functiones illas, quas menti tribuimus, a facultatibus pendere substantiae cujusdam a corpore perfecte diversae, quaeque

quaeque subsistere possit, etsi ab illo separatur.

Expectet forsan aliquis, ut in dissertatiuncula nostra lites has componeremus; tantos vero nequaquam nobis sumpsimus spiritus, nec necessarium duximus dum pro medico scopo differamus: Sufficiat igitur nobis opinionem illam assumpsisse quam eminentissimi nostri temporis philosophi et medici fovere, nimirum, operationes mentis, indissolubili vinculo, certo materiae ac motus statui in corpore nostro connecti. En quomodo sese exprimit celeberrimus Gaubius, dum in eo versetur, ut mentis quarundam operationum in corpus effectus explicet; in pathologiae medicinalis § 523. sic calculos suos hac de re subducit. ‘Mens  
‘ nimirum corpori suo, dum vita viget, intime implicata est; ut difficulter concipere  
‘ liceat tam exquisitè puram ejus operationem, quae prorsus nihil corporeae mutationis, quoque modo sibi innexum habeat.’ Et in § 524. ‘Praeterea verosimillimum

‘ millimum est, systema nervosum, qua  
 ‘ sensui praeest, vi quadam motrice ani-  
 ‘ mari, vitali muscularive virtuti forsan ae-  
 ‘ quiparanda, qua agente, stamina ejus  
 ‘ tendi, vigescere, turgere, concipiendis  
 ‘ ad irritamenta oscillationibus aptari que-  
 ‘ ant, vicissimque remitti, ac flaccescere,  
 ‘ cum otatur. Nec refert utrum a spiri-  
 ‘ tu, quem vocant, animali, per nervos dif-  
 ‘ fuso, eandem repetas, an quoquo alio  
 ‘ modo ab ortu putes inditam, mecumve in  
 ‘ re obscura opinando nihil augureris.  
 Clarissimus vero jam allatus auctor, hanc  
 opinionem aliis quibusdam minus arcte se-  
 quitur; quare illustrissimum Hallerum etiam  
 citare liceat, qui in *Primarum Physiologiae  
 Linearum*, § DLXX. sequentia habet: ‘ Et  
 ‘ tamen haec anima, adeo diversa a corpore  
 ‘ arctissimis cum eo ipso conditionibus re-  
 ‘ ligatur; quae et cogitare cogatur ad eas  
 ‘ species quas corpus ipsi repraesentet, et  
 ‘ absque cerebri corporeis speciebus non  
 ‘ videatur aut meminisse posse aut judicare;  
 ‘ et cujus denique voluntas in corpore vel  
 ‘ causa,

‘ causa, vel occasio velocissimorum maxi-  
‘ morumque motuum est.’ Celeberrimus  
Boerhaavius hac de re mentem suam uberi-  
us adhuc exposuit; post morbi enim defini-  
tionem, quam in Institutionum Medicarum,  
§ 696. dedit, sequentia addit: ‘ Nec men-  
‘ tio animae facta in hac definitione, quia  
‘ corporis statum determinatum idem ani-  
‘ mae status individue comitatur.’ Idem  
porro egregius auctor, postquam in ejusdem  
operis, § 566. et seq. varias mentis ope-  
rationes, quatenus a sensatione oriantur, ex-  
posuit \*, sequentibus concludit verbis:  
‘ Verum omne hoc pendet tantum a sim-  
‘ plici illa conditione sensorii communis,  
‘ quae est ibi tantum mechanica dispositio.’

Hanc igitur doctrinam adoptamus, et  
ejusmodi hujus rei ideam medico scopo esse  
necessariam omnino credimus; enimvero,  
si supponamus mentem a statu ac con-  
ditione corporis semotam agere (utcumque  
sit ejusmodi suppositio, alio respectu neces-  
saria)

\* § 581.

faria) dubia certe omnia de corpore, vero medicinae objecto, evadent ratiocinia, et infomnia Nicholis, vel inepta perniciofaque Stahlianorum, producentur dogmata.

Celebratiffimi Boerhaavii doctrinam affumendo, ad majorem simplicitatem reducitur, inque clariorem lucem ponitur problema illud de mentis in corpus actione; cardo nimirum rei in eo solummodo jam vertitur, ut explicetur, quomodo status unius corporis partis agere, et effectum in aliam ejusdem partem producere possit; hujus vero problematis solutionem possibilem esse laetis speramus. Fatendum omnino est, quod status corporis nostri, ex quo variae cogitationis modificationes pendent, non nisi mancam ac imperfectam adhucdum habeamus cognitionem, quodque multum desit quo minus sequentem celeberrimi Boerhaavii solvamus quaestionem\*: ‘Quaenam est in corpore conditio unde judicium affirmans, negans; ratiocinium, et methodus

\* Instit. Med. § 586. No. 8.

‘dus ordinate cogitandi pendet.’ Nihilominus tamen minus de scientiae progressu spem omnem abjicere non fas est; quid! quod praesenti opusculo ad ejus incrementum operam nostram qualemcunque conferre conabimur.

In omni materia pertractanda, phaenomenorum factorumque omnium ad hanc ipsam materiam pertinentium collectio ac justa dispositio, primariam sibi poscit attentionem; quo igitur mentis in corpus operationes aliquo modo explicemus, necesse est, ut primo has omnes operationes, quatenus sensibus nostris pateant, enumeremus, id, quod hujus dissertationis scopus est.

CAP. I. De sensationis effectibus breviter differet.

CAP. II. De effectibus ex intellectus exercitio oriundis pauca exponet.

CAP. III. De variarum voluntatis modificationum effectibus aget.

C A P.

## C A P. I.

*De Sensationis Effectibus.*

SYSTEMA humanum, etsi varias, motibus suis sustentandis, intra se foveat vires; minime tamen merum apparet esse automaton, sed rerum externarum impressione in actionibus suis sustinendis multum pendere videtur; hae autem objectuum externorum impressiones operationem suam edunt, sensationem inducendo.

In plerisque hominibus, si impressiones sensationis ex toto tollantur, et eodem tempore nulla sit cogitationis actio, somnus omnino sequitur, qui status ille est, in quo multi corporis et animi motus vel plane extinguuntur, vel omnes saltem debiliores fiunt.

Hinc apparet, sensationem simplicem, quum sit causa actionis omnis generis in  
animi



animi operationibus, corpori etiam esse stimulum, et in utroque respectu systematis humani actionum subsidium ac fulcrum primum; patet etiam, ex numero et vi harum sensationum augeri hunc stimulum vel minui.

Prono quoque hinc veluti alveo fluit, sensationum absentiam, vel in numero aut vi defectum, corpus debile motuique inutile reddere. Et e contrario patebit, impressiones etiam simplicissimas, imprimis eas quae majorem vim possident, in febribus et aliis quibusdam morbis, ubi irritabilitas et sensibilitas magnopere vigeant, systemati multum nocere, vi irritationis quae necessario eas sequitur.

Effectus autem sensationis magni imprimis tunc momenti erunt, cum sensationibus sic dictis reflexis concomitentur, i. e. cum sint gratae aut ingratae, jucundae aut molestae.

B

Gratae

Gratae sensationes atque jucundae stimuli sunt qui actionem ac vigorem omnium corporis functionum excitant, et nisi in immodicum transeant gradum, hos effectus, absque subsequenti systematis debilitate, edunt.

Cum autem hae sensationes fortiores sint, cum nimis diu persistant, aut justo saepius repetantur, cerebri energiam adeo excitant, ut proportionatam ejus diminutionem sequi necesse sit, unde corpus ejusque munerata languida evadunt ac debilia\*. Hi voluptatis in systemate debilitando effectus, eo sunt notatu digniores, quo majori gradu placeat sensatio grata. Hoc modo explicandi sunt Veneris effectus debilitantes, ab omni aevi Philosophis ac medicis observati. Hinc ortum duxit aphorismus Aristotelis, ‘omne animal post coitum triste;’ et hinc ‘quando cum foemina congregandum esset,’ interroganti, antiquus quidam

\* Vide First Lines of the Practice of Physic, Vol. 3. parag. 1122.

dam philosophus respondit, ' Quando vis  
' fieri teipso debilior.'

Hic loci, sensationem etiam notare gratam ac jucundam, ex cognitione rerum fastarum, quae nobis aut amicis accidant, oriundam, haud supervacaneum erit. Hic est laetitiae et gaudii affectus, qui in corpus effectus haud edit leves. Cor frequentius contrahitur, et sanguis majore vi per totum corpus diffunditur, perspiratio valde augeatur, et omnes corporis motus cum alacritate exercentur. Modicae hujus generis sensationes saepe repetitae, cum toti systemati nervoso vigorem concilient, ad longaevitatem quoque haud leviter conducere, non absque probabili ratione putantur. Ut vero salutare hi effectus sequantur, modicas has esse sensationes necesse est; enimvero, si violentiores sint, diu tolerari non possunt, et cum cessaverint, debile corpus relinquunt ac languidum. Gaudium sic summum ex improvise ortum subitam saepius induxisse mortem annales testantur medici.

Boerhaavius,

Boerhaavius, in Libro de Morbis Nervorum \*, historiam hujus generis enarravit: ‘Familia,’ inquit, ‘spectabilis ad angustias erat redacta; frater natus maximus profectus est in Indias Orientales, sitque ibi unus e primariis; sororem tristem ad se vocat; venit illa; vult eam gaudio afficere; aperit ornamenta quae illi destinabat. Illa haec videns manet immobilis et moritur prae laetitia.’ Abunde hinc patet non absque optima ratione incomparabilem moralistam Senecam dixisse; ‘Mihi crede, res severa est verum gaudium.’ Multo autem frequentius est morbos hanc animi affectionem sequi. Celeberrimus Mead † meminit se a Doctore Hale (tunc temporis ad nosocomium maniacorum Londini medico) saepe audivisse, ‘Illum multo plures curae suae commissos tractasse, quos ad immensas opes evexerat fortunae favor, quam quos iniqua fors ad miseriam et pauperiem redegerat.’ Huic observationi

\* Tom. 2. pag. 553.

† Monit. ac Praecept. Med. pag. 48.

observationi elegantissime addit illustris Mead, ‘Ufque adeo mentem corrumpit infatiabilis avaritia et auri sacra fames.’

Veluti gratae, sic etiam ingratae et molestae sensationes, stimulum haud levem systemati inferunt, praesertim vero parti cui applicentur. Harum effectus varii sunt pro diversitate impressionis et partis in quam agunt. A mechanica lege, hos omnes effectus pendere, forsan aliquis putaret; impossibile vero nobis videtur explicare, quomodo effectus in systemate toto potestate quadam mechanica producerentur, nisi impressio omnis, cuicunque parti illata, cum cerebro, unica sensationis sede, communicaretur.

Opinionem illam assumendo, dolorem nempe cerebri energiam excitare, vi ratiocinii a nobis supra adhibiti explicare quoque licet, unde fit ut adeo debilitetur corpus ex subita sensationis alicujus dolorificae cessatione. Syncopen huic causae origi-

nem

nem haud infrequenter debuisse, varia probant exempla \*, mortem quoque subitanam ex violentissimo doloris gradu ortum duxisse, verosimillimum est.

Quum inter sensationes dolorificas strictius sic dictas, et illas quas ingratas tantummodo vocamus, distinctio sit facilis, posteriores quoque hic loci leviter attingere oportet. Sensatio omnis ingrata potestatem possidet directe sedantem, vicujus, corporis motus minuuntur ac cohibentur; et illae sensationes quae summo gradu molestae sunt, et horrorem subito inducunt, syncope haud raro natales praebent, immo, mortalitati etiam finem imponere valent. Utut autem ea lege humanam fabricam natura construxit benefica, ut omnis potestas sedans, modico gradu corpori applicata, vis evadat indirecte stimulans; sic etiam omnis sensatio ingrata tales in systemate nostro excitat motus, quales minantibus injuriis resistendis,

\* Vide Celeberrimi Culleni First Lines of the Practice of Physic, Vol. 3. parag. 1122.

resistendis, vel malis effectibus jamjam obortis removendis necessarii sunt. Motus hi, a sensationibus molestis oriundi, variant pro diversa natura impressionis, partisque operationi ejus subjectae, necnon pro diversa systematis conditione dum ipsae impressiones applicentur. Ejusmodi impressionum operationes saepe internae sunt ac obscurae, adeo ut visibiles non semper oriuntur motus, sed anxietas tantummodo et inquietudo producantur.

De effectibus sensationis, ab impressionibus ingratis simplicioribus ortum ducentis, jam locuti fuimus; oportet autem etiam ut de effectibus illis breviter differamus, qui ex sensationibus ingratis magis complicatis oriuntur; de illis, nempe, qui infelicem nostrarum vel proximi rerum eventum pro causa agnoscant.

Hae sensationes (moeroris nimirum et tristitiae) vi gaudent manifeste sedante; cordis actionem minuunt, et ad sanguinis

per

per pulmones transmissionem promovendam fufpiratum promovent, de vi circulationis multum detrahunt; unde pallet corporis superficies, et perfpiratio, una cum caeteris excretionibus, imminuitur; totum corpus debilitant, et morbos, a debilitate, tardiori fanguinis circulo, vel diminutis excretionibus pendentes, mirum in modum fovent atque exasperant.

C A P.



## C A P. II.

*De Intellectus exercitii Effectibus.*

IN hac parte tractanda, eundem ac in priori sequemur ordinem; et in effectibus intellectus exercitii enumerandis, primo modicum ejus gradum, utpote sanitati necessarium, considerabimus; deinde excessum et defectum, quatenus morbis inferendis auxiliatrices conferant manus, notatu imprimis digna putamus.

Si quod nuper asseruimus verum esse probetur, excessum nempe et defectum hujus animi exercitii statum inducere morbosum, nonne etiam sequitur modicam illius requiri actionem, ut salva servetur valetudo ac integra? Rem ita sese habere innumera probant exempla. Ejusmodi vero exempla, etiamsi apud rei medicae scriptores defuissent, omni tamen illum culpa vacare

C

crederem

crederem qui ex analogia eodem modo mecum ratiocinaretur.

Sicut corpus elasticum, vel si supra modum extendatur, vel si nimis otietur, vim suam perdit elasticam; et sicut in corpore humano motus et quies, vigilia et somnus, (utcumque ad vitam necessaria), in utroque excessu, plurimorum morborum causae sunt; sic etiam a nimio, pariter ac justo minori intellectus exercitio, haud laevia oriuntur mala. Unicuique enim, intimum illum, qui animum inter ac corpus existit, nexum vel leviter consideranti, primo omnino intuitu patebit, ea lege hominem esse constructum, ut ad totius machinae incolumitatem proportionata utriusque principii requiratur actio.

A cogitationis excessu oriuntur \*, ‘ Omne genus mentis perturbationum, melancholia, *ισοτασις*, mania, catalepsis, fatuitas, sensuum impotentia, virtutis nerveae  
‘ resolutio,

\* Gaubii Instit. Pathol. § 529.

‘ resolutio, et similia.’ Haec et alia mala ab eodem fonte originem ducere, in elegantissimo de literatorum morbis libello fusius enarravit sempiternae famae medicus Tissot.

Nec minus infaustos effectus habet neglecta animi cultura ; inde oriuntur fatuitas, corporis pariter ac mentis hebetudo, ac torpor universalis ; omnibus functionibus exercendis corpus impar redditur, et homo, vitam quasi inanimatam degens, ad ineluctabile fatum properat. Optimo igitur nixus fundamento sic cecinit poeta :

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,  
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

## C A P. III.

*De variarum Voluntatis Modificationum Effectibus.*

OMNEM ideam quae in mente oritur, sequitur determinata mentis affectio, eamque ipsam affectionem mentis passim comitatur aliqua determinatio voluntatis animae. Vel enim placet idea, vel displicet, vel neque placet, neque displicet, sed prorsus adiaphora vel indifferens est. Indifferentes ideae nihil mutant animae voluntatem; placentes autem et displicentes hanc confestim mutant et determinant. Quando nimirum idea placet, anima eam ideam cupit retinere, et rem ipsam, a qua haec idea excitata est, amat, eo ardentius quo magis in idea sibi complacuit. Contra vero, dum idea rei displicet, anima illam ideam averfatur, et rem ipsam, a qua haec idea excitatur, odit, eo vehementius, quo magis

magis ingrata fenfatio aut idea illius rei fuerit. Omnes enim fic facti fumus ut bonum amemus, malum averfamur. Boni autem vel mali aestimatio faepe quidem a fenfatione pendet ; et hinc quae alteri placet idea, alteri displicet, quod alter amat, alter averfatur. Nunc, cum ideae fint effectus rerum perceptarum, fi idea placeat, et a mente ad fuam caufam, feu ad illum objectum, qui hanc ideam excitavit, referatur, neceffario idein ille objectus placet ; adeoque ut primum voluntas mentis circa ideam determinata eft, eadem etiam neceffario circa rem illam, quae ideam excitavit, determinata eft ; nec poteft anima averfari rem cujus idea placet, et eo minus illam rem averfari poteft, quo magis ejus idea menti placuit, fed neceffario voluntas animae in amorem ejus rei flectitur, imò rapitur. Nec poteft anima amare ideam displicentem, neque adeo poteft amare rem illam, a qua haec idea displicens excitata eft, fed neceffario et ideam, et caufam ideae, objectum nimirum averfatur. Ex hoc duplici

plici fonte amor et odium, et ex his reliquae affectiones, quae vulgo animi affectus vel pathemata vocantur, ortum ducunt. Amamus quod placet, odimus quod displicet. Ex priore oriuntur spes et cupiditas, ex posteriore timor et desperatio.

Omnes haec mutationes in mente natas sequuntur certae mutationes corporis, certique motus musculorum, quorum ratio in intimo illo mentis cum corpore nexu latet. Haec mutationes ordine enumerare, minime autem earum rationem reddere conari, hujus opusculi capitis est.

### S P E S.

Spes animum grata anticipatione exhilarat; unde in corpore lenioris gaudii placidos parit effectus. Hoc dulce solatium vitam maxime sustentat, et in feram senectutem producit. Tristitiam et horribilem desperationem, ut et mala quae illas sequuntur,

tur, avertit. Sine hoc subsidio, omnes corporis functiones cito certe deficerent, nec homo quidquam intus haberet, quod motus vitales excitare aut diu sustinere posset.

### C U P I D I T A S.

Hujus effectus, pro diversitate rerum quae illam excitant, differunt. Ita diversa est faciei mutatio in illis, qui cupidine auri aut aliarum rerum externarum afficiuntur, ab iis quos veneris torquet cupido. Effectus posterioris hujus animi affectus explicare omnino impossibile est. Ex actione sola imaginationis varii in utroque sexu oriuntur motus. In maribus oculi scintillant, pulsus acceleratur, et haud infrequenter irregularis evadit, vires novae, ut ita dicam, artibus redduntur, partesque omnes generationi dicatae mirum in modum stimulantur. Cum vehementior ac possessioni propior

pior est hic animi affectus, ut verbis utar Halleri ‘ summum calorem, palpitationem, ‘ ruborem, robur pene cum tremore, et sensum quasi ignis per vasa ipsorum artuum ‘ facit.’ In foeminis quoque, varios haec passio solet inferre morbos. Menstruum fluxum, ab hac causa ante diem proprium excitari, nemo non probe cognoscit. Cum haec cupiditas diu absque fruitione perstat, morbus vel experientissimis medicis sanatu difficillimus oritur. Chlorosin loquor, qua nullus fere morbus pertinacior.

Externarum rerum concupiscentia diversis in facie mutationibus sese prodit. Raro autem graviores morbos inducit. Auricupiditas faciei pallorem et totius corporis maciem infert, quae, si diu maneat, revera morbos inducit.

TIMOR.



## T I M O R.

Timorem atque terrorem a se invicem ex toto distinguere, multum laboravere Hallerus aliique physiologi, immo eousque processerunt, ut illum ad pathemata sic dicta deprimentia retulerint; huic vero inter pathemata excitantia locum dederint. Pace autem tantorum virorum, hanc distinctionem rejicimus, et terrorem non nisi majorem esse timoris gradum contendimus. Terrorem enim in mente humana absque metu excitari posse, impossibile nobis videtur. In terrore, res externae quas metuimus, jam ante oculos versantur; in metu vero, expectantur. Diversi omnino sunt horum pathematum effectus; et inde, ni fallor, diversam quoque illorum naturam crediderunt auctores. Si vero ad harum passionum modum invasionis attendamus, effectuum diversitatem explicare non multum nobis facesset negotii. Terror subito

ac ex improvifo invadit; metus autem lente ac gradatim fuboritur. Nonne igitur expectandum violentiores illius, quam hujus, fore effectus; fic chronici morbi ab hoc, acutiffimi vero ab illo, originem ducunt.

In leviori timoris gradu, fugit a vultu rubor, horripilatio totius corporis oritur, contremifcunt artus, et gelidus emanat fudor. Sphincteres laxantur, vires ad venereos amplexus neceffariae tolluntur, haemorrhagiae fupprimuntur, ut et menfium et lactis fluxus, visque nervofa ex toto fere frangitur. Variorum morborum caufa eft hoc animi pathema, quorum multi ex debilitate, quam inducit, pendere videntur. Debilitatem inducendo, corpus ad peftis venenum aliaque contagia accipienda proclivius reddit; hinc etiam inter caufas intermittentium aliarumque februm remotas, timori illuftris Cullenus aliaque haud ultimum dedere locum. Hysteria, hypochondriafis, et tota dyspepti-  
corum

corum symptomatum cohors metum quoque pro causa saepe agnoscunt.

Ex violentiori timoris gradu, terrorem loquor, spasmos, convulsiones, epilepsiam, cordis palpitationem, volvulum funestum, abortum, febrem violentissimam, mortemque etiam subitam, ortum duxisse legimus.  
 ‘ Denique \*

### ‘ D E S P E R A T I O

‘ Est et maximi mali sensus, et cujus nullum sit remedium, quo affectu non alius saevior ad destruendum hominem pronior digniorque est, quem cum igne aeterno S. S. comparaverit.’

Varia haecenus recensita animi pathemata, illorumque effectus consideranti, non potest non sequens Gaubii illustrissimi observatio  
 grata

\* Halleri elem. phys. vol. 5. pag. 530.

grata esse atque acceptissima † : ‘ Quocirca  
 ‘ manifestum est, animi motus, violentia, fre-  
 ‘ quentia, duratione enormes, multo, quam  
 ‘ corporis, gravius oeconomiam humanam  
 ‘ affligere: Nocere autem prae primis, sicubi  
 ‘ et immodicas mentis exercitationes comi-  
 ‘ tantur :——Phyfiognomiam igitur me-  
 ‘ dico tum maxime conducere ne frustra  
 ‘ laboret.’

---

Et sic quod agendum erat egimus ; certe non pro rei dignitate, sed ut potuimus. Si igitur multa in hac dissertatione a nobis ommissa fuerint, si plurima minus scite ac elaborate exposuerimus, ne id omne supinae cuidam negligentiae, nec omnino ignorantiae, sed temporis quibus in praesenti includimur angustiis, rogo tribuas, lector benevole ! Quae vero in hoc exercitio lectu digna reperiantur, ea omnia illustris  
 Culleni

† Instit. pathol. sect. 543.

Culleni scriptis consilioque amicissimo deberi lubens fateor. Ingratissimus forem omnium, si publicam hanc non arriperem occasionem singularem illam agnoscendi benevolentiam ac amicitiam, qua celeberrimus hic vir me semper amplexus est. In eo non jam versamur, ut tanti viri laudes canamus; laudes enim nostras longe superat; gratum tantummodo animum nostrum ostendere volumus;

‘ Ante leves, ergo, pascentur in aethere cervi,  
 ‘ Et freta destituent nudos in littore pisces,  
 ‘ Quam nostro Illius labatur pectore vultus.’

VIRG.

F I N I S.





